



te veritati infinitae falli & fallere nescia, siquid revelare voluerit, assensum firmissimum tribuendo. Video in Deo mediocre nihil, summa omnia: igitur omnem illi laudem, honorem reverentiam, perfectissimum mentis & voluntatis obsequium serva Domino, summo, optimo exhibere debeo. Non in se tantum, etiam mihi bonum esse cognosco: igitur beneficia in me collata memori & grata mente recolere oportet, ac donis quae ejus liberalitas indulgit, recte uti: indignus beneficiis est, qui collata obliviscitur, dignissimus odio & quovis supplicio, qui eadem ad benefactoris injuriam usurpat. Propter illum conditum, alium praeter eum finem ultimum non habeo, habere non possum: spes igitur omnis perpetuae beatitudinis in illo reponenda est, eo totis mihi viribus per actiones liberas adnitendum est non meis viribus confisae, sed illius benigne adjuvantis potentia: ex me nihil in ipso possum omnia. Plura mihi obsistunt pericula, quae a beatitudinis consecutione impediunt, quae ut prudenter dulinem, aut fortiter superem, precibus instandum est: magnus Dominus est, rogari vult, Dominus liberalis est, rogari meretur. Optime erga me affectus est omnis boni autor, optimus in me, in se optimus. Rivuli exigui sunt bona creata; Deus fons, qui exhauriri nequit, siquid amo-

Reverentia.

Gratitudo.

Spes.

Obsecratio.

Amor.